

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

12 April 2004

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **Gregory the Great on Christ sending the disciples out two by two**

Dominus et Saluator noster, fratres carissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando uero operibus admonet. Ipsa etenim facta eius praecepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in praedicationem discipulos mittit, quia enim duo sunt praecepta caritatis, Dei uidelicet amor et proximi, et minus quam inter duos haberi caritas non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectione se in alterum tendit, ut esse caritas possit. Binos ad praedicandum discipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet.

Bene autem dicitur quia *Misit eos ante faciem suam in omnem ciuitatem et locum quo erat ipse uenturus*. Praedicatores enim suos Dominus sequitur, quia praedicatio praeuenit, et tunc ad mentis nostrae habitaculum Dominus uenit, quando uerba exhortationis praecurrunt, atque per haec Veritas in mente suscipitur. Hinc namque eisdem praedicatoribus Isaias dicit: *Parate uiam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*.

CONT'D. ON NEXT PAGE...

2. **Hugh of St. Victor on motion as the work of God**

Motus est quadrifarius: localis, naturalis, animalis, rationalis. De quibus, quia per singula multa dicere non possumus, breuiter singula perstringamus.

Vide quomodo in motu locali sapientia Conditoris appareat. Cogita nunc unde defluentibus semper aquis indeficiens semper uena ministratur, unde motus uentorum educitur, quis infatigabilem astrorum cursum moderatur, quis solem per hiberna descendere signa precipit, quis rursum per estiuam eum signa ascendere facit, quis eum ab oriente in occidentem ducit, et iterum ab occidente ad orientem reuehit! Haec cuncta mirabilia, et soli Deo possible sunt.

Quid etiam de motu naturali dicam? Quis putas nascentibus cunctis incrementum tribuit, et quasi de quodam occulto naturae sinu in apertum germinantia educit, rursumque eadem marcentia illuc unde uenerant reuerti facit? Satis haec diligenter intuentibus mirabilia apparebunt.

Deinde sequitur motus animalis, qui est in sensibus et appetitibus. Cogita ergo qualis esse possit qui sensus omnium uiuentium fabricat, appetitus creat, et in singulis quibusque animantibus quid appetere et quantum appetere debeant ordinat.

3. **A domestic dispute: Do I have to get the cucumber?**

Frater Ricoldus ordinis Predicatorum, lector sollempnis, predicauit Florentie quod accidit in Caldea, ubi ipse fuerat ad predicandum et conuertendum Caldeos. Quidam bonus homo et diues uidit filiam cuiusdam alterius boni hominis et dixit patri: "Si tibi placeret, ego acciperem in uxorem filiam uestram." Dixit pater qui habebat illam filiam: "Placet michi. Sed quantum uis pro dote?" Respondit diues: "Nolo dotem." Et ille: "Quomodo non uis dotem?" Et ille: "Nolo dotem nisi quod des michi tantum unam cucurbitam idest cuccam." Cernens ille quod pro uero dicebat, facta concordia de accipiendo filiam, pater illius puellae emit unam bonam cucurbitam. Et cum duceretur puella ad domum, uir unus precedebat ante sponsam cum ista cucurbita in manu.

Stante puella cum uiro per spatium temporis, accidit, sicut moris est, quod oportebat quod aliquid fieret in domo, et uir dixit uxori: "Ego uolo quod fiat sic." Dixit uxor: "Immo melius est quod fiat aliter." Et sic uxor contendebat cum uiro nolens obedire in eo quod sibi dicebat.

CONT'D. ON NEXT PAGE...

Et uir dixit uxori: "Tolle cucurbitam tuam et exeas de domo. Quid portasti tu ad istam domum?" Illa, audiens nominari cucurbitam, timens et tremens conticuit et obediuit marito. Iterum post modicum tempus alius casus accidit de obediendo uiro et mulier uolens esse pertinax non obediendo. Dixit uir: "Tolle cucurbitam et statim exeas de domo." Illa timens conticuit et obediuit uiro.

4. **St. Modwenna's stolen cows and the robbers' conversion**

Quadam nocte contigit ut due uacce de Moduenne monasterio, uagantes in tenebris, latrones incurrerent, quas illi rapientes cupiebant furtim ad propria ducere et suam de eis uoluntatem explere. Cumque per deserta euntes uenissent ad fluuium qui Fertas dicitur eumque transmeare uoluissent, inuenerunt aquas illius ita feruidas ut eorum uestigia calorem fluminis nullo modo tolerare potuissent. Stupefacti fures in tanto miraculo, qui sentirent undas naturaliter frigiditas in feruorem bullientium contra naturam esse conuersas, agnouere quidem culpam conscientie et meritum uirginis admirabantur cuius uaccas furari conabantur; uerumptamen lucri ducti cupidine et latrocinandi consuetudine resipiscere adhuc nolentes, per totam noctem errantes per deuia, iter quo euaderent cum latrocinio querere studuerunt sed, tota nocte incassum laborantes, uiam penitus qua possent euadere nequaquam inuenire potuerunt. Elongari autem a cenobio uirginum se putabant sed e contra, diuina uirtute protracti, eidem monasterio magis appropinquabant.

Facto itaque primo diluculo, cum iam terris illuxisset dies, et se esse iuxta ecclesiam contra libitum atque propositum certo indice comperissent, reuersi tandem ad se et tacti intrinsecus penitencia, uehementer exterriti et Dei timore compuncti sunt.